



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput X. Colloquiorum fontes Reliqui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

C A P U T IX. 53

lius, qui consuetam peregrinis charitatem Afello exhibendam lotionem pedum, afferebat. Movit & illa: Quid sit odisse animam & invenisse? Quid amare ac perdere? Quid lucrari Mundum sine ullo lucro? Mortuum oportere ducere vitam. Plus curarum creare Pastori unum Hædum, quam centum oves. Ubi ficus bonæ, malæ, pessimæ? Quo tempore Camelus foramen acus pertransijt? Cœnobiorum omnia tecta nigris teculis constare; laquearia candidis Tabulis compacta esse. Utrum verè Cœnobitæ omnes fiant, quasi modo geniti infantes, & de utero Baptistæ? Utrum iidem illaqueati & compediti totâ vitâ cogantur incedere? Utrum sint usurarii centum supra fortem acceptantes? Utrum, qui Duce proprio spreto se suum Ducem facit, Dæmone tentatore non egeat, fiatque sibi ipse Dæmon? & his similia, &c.

C A P U T X.

Colloquiorum fontes reliqui.



Medica, in duplicem sensum accipiebat, Corporalem & Spiritualem. Qui morbi corporales; unde suam trahant originem; quomodo curari

rari & quali animi constitutione intra ægritudinem sufferri debeant. Qui morbi spirituales præcipui, & quæ illorum antidota, de quibus infrâ.

Mendica; quomodo gratiæ tam corporalium necessitatum, quàm spiritualium à diversis postulandæ? si casus ferat. Quid agendum si expectare jubeatur, differatur, vel varijs exprobrationibus probetur & virtus exploretur? si repulsam patiatur, num in silentio & spe pacatè sustinendum, non verbo aspero, non impatientiæ signo, non offensivo facto post se relicto recedendum? num recurrendum, vel ad principalem remeandum? Ex hac corporali mendicatione transcensum ad spiritualem intendebat, docebatque supposito Rituali, hunc ferè in modum mendicare à cælitibus oportere. Cùm DEUS & Cælites non tam attendant ea quæ sensibus parent, sed magis cor intueantur: Cor tibi, *ait*, in cælos transmittendum est per pennas vel pondus amoris. Illud autem, quia purum solum penetrat cælum, nihil enim eò admittitur coinquinatum, emundatione imprimis purum efficiendum erit. deinde humilitate convestiendum, quia humilitas respicitur. tum paupertatis affectibus superinduendum, & faciendis desiderijs infarciendum, quia desideria pauperum exaudiuntur. & tandem nè
igno-

ignotum vel aberret alicubi, vel solitarium rejiciatur, S. Angelo Custodi committendum. Cor autem in cœlum admissum, meminerit se regere imprimis, & si ad Thronum Divinæ Majestatis perductum fuerit, à longè adhuc positum se prosternere, & magnitudinis ac Potentiæ Divinæ terrore liquefactum, in suum nihilum humiliter diffluere. Si verò sceptro clementiæ se colligi senserit, & consolidari, ad accedendumque ac colloquendum invitari: vel de profundis in silentio oculis Domini sole clarioribus, & omnia penetrantibus, desideria sua exponat, vel cum Hieremia *AAA Domine DEUS nescio loqui*, infantiam fateatur, & necessitates ac miseras suas pro se perorantes humiliter supplicet exaudiri. Si autem advertat faciem Domini plenam gratiarum super se illustrari, & apertis opulentia suæ thesauris ad petendum & eligendum aliquid, vota invitari: in nihil proruat inconditè, sed ignorantiam suam circa petenda, & indignitatem circa eligenda non dissimulans, in hoc unicum: *Da Domine quod jubes, & jube quod vis*, suas omnes colligat appetitiones.

Si ad Reginae Cœli palatium pervenerit, vel per decantatum pauperum more, *Salve Regina*, misericordiam provocabit, vel enumeratis præcipuarum dignitatum Tantæ Principis Titulis,

tulis, omnium malorum suorum remedia, & bonorum omnium orabit incrementa.

In Castra Cœlestis Militiæ si immitatur, omnes Beatos Spiritus piè, humiliter ac reverenter conveniet; speciatim autem *Seraphim* beatissimos, igne amoris DEI flagrantissimos, carbunculos splendidissimos appellans, petet igne Amoris DEI perpetuo ab eis inflammari. *Che- rubim* felicissimos, clarissima cœli lumina, fulgentissima æternæ Sapientiæ receptacula appellans, Ignorantiæ suæ tenebras dispelli, & invariabili luce Scientiæ Sanctorum se roget illustrari. *Thronos* stabilissimos, pulcherrimas DEI sedes, & magnificentissima reclinatoria ineffabilis Majestatis venerans, humiliari sub potenti manu DEI. *Potestates* invictissimas & honorificentissimas; *Virtutes* mirabilium effectrices sanctissimas, potentissimâsque confitens, è vitiorum servitute in libertatem filiorum DEI vindicari, & ab hostium in se conjuratorum, Dæmonis, Mundi, Carnisque Tyrannide defendi, & expulso vetere homine in eum qui secundum DEUM creatus est, se innovari flagitabit. *A Principatibus* excellentissimis, *Archangelis*que serenissimis & ab *Angelis* illustrissimis nobilissimâsque exiget ordinatam obedientiam, & claram cœlestium mysteriorum intelligentiam, & expeditam ad omnes nutus DEI

exc-

exequendos, voluntatem. Ex Castris in vi-
cos & plateas Beatæ Civitatis si incurrat: so-
licitet apud Sanctissimos *Patriarchas* fidem; ;
spem apud clarissimos & zelosissimos *Prophe-
tas*; apud Ecclesiæ Principes *Apostolos* chari-
tatem; apud fortissimos Sanctos *Martyres*
patientiam; apud Sanctos *Pontifices*, zelum
DEI & fervorem. Apud Sanctos *Doctores*
veram sapientiam; apud *SS. Cœnobitas* obser-
vantiam disciplinæ. Apud *SS. Anachoretas* stu-
dium recollectionis atque silentij. Apud *SS.
Confessores* fidelitatem in Divino obsequio; à
SS. Virginibus castitatem. à *SS. Innocentibus*
candidam simplicitatem.

Laureata relaxatio ea vocabatur, in
quam tanquam per litteras laureatas secun-
da fortuna & prosperæ res, seu nova aliqua,
& rara DEI dono obveniens consolatio, vel
Ecclesiæ universæ, vel Ordini alicui sacro pro-
prio vel amico, vel filijs etiam seculi, aut ho-
rum communitatibus pertractanda afferre-
batur. Cujusmodi ferè erant; accessio ad
Christi fidem gentium barbararum, hæreti-
corum & ad rectam viam reductio. Per-
pessa pro Christo Martyria; superatæ in præ-
dicatione Evangelij ingentes industrijs inau-
ditis difficultates; edita nova miracula; de-
cla-

clarati per congruam auctoritatem, & ad publicam venerationem descripti Sancti; exorta mundi tenebris nova lumina, sive à prædicationibus, sive à scriptionibus, sive à consilijs Sapientum & piorum victoriæ de Perturbationibus, aut hostibus Reip. reportatæ. liberationes oppressorum è publicis calamitatibus, pestilentia, famis, Tyrannidis & similibus. Ex his enim narratis, varios suscitari motus ac fructus: hilarescere quosdam, roborarique in via Domini & rebus DEI. excitari alios ad audendum aliquid pro gloria DEI, & animabus. Sanctè ad æmulandum invidere alios; alios tepefactos hisce veluti sufflamenti animari. Ad glorificandum in operibus suis DEUM alios denique exsuscitari.

Funesta, calamitatum erant illa, quæ imminentiæ terrores minuerent, vel præsentium acerbitates lenirent. Qualia sunt: Prælia & seditiones, Gentium ac Regnorum collisiones, commotiones Terrarum, marium aut fluminum exundationes, damna aërearum tempestatum, ignium violentiæ, signorum de Cælo terriculamenta. persecutiones Tyrannorum, Hæreticorum furia, defectiones & apostasiæ aliquorum, scandala ac lapsus proborum & piorum.

Pro-

Profanationes Templorum. Cœnobiorum
 everfiones. Innocentium cruentæ laniæ.
 Pauperum fpoliationes. Infortunia fua & pe-
 ricula amicorum vel notorum, qualiter fingulis
 Providentia Divina ereptrix præfto fuerit.

C A P U T XI.

Qualiter Confcientiam fuam fcru-
 tatus fuerit. Modus indormiendi
 noctemque traducendi.



Adeo rigidus arbiter fuæ fuit
 confcientiæ, ut nè hilum quod per-
 fpicaciter adverterat, fuo in animo
 hære pateretur. Quàm verò ri-
 gidè angulos omnes fcrutari, omniæque fuæ in
 examine rimari affueverit, indè collige. Reco-
 lebat primò num quidpiam in *corporis* fufenta-
 tione, molle, delicatum & ftrictæ neceffitatis re-
 gulam transgrediens admisiffet. In *motu* au-
 tem, an procuraverit gratiam finè mollitiæ,
 quietem finè diffolutione, gravitatem finè tar-
 ditate, alacritatem finè inquietudine, maturita-
 tem finè protervia, feveritatem finè turbulen-
 tia. Deinde *Senfus* circumfpiciebat, & in fta-
 tione oculorum requirebat, an mors per fene-
 ftras,